

IOANNES DIEPPVRG DOCTOR HEIDELBERGENSIS.



JOANNES Dieppurg Franckfordiæ natus & educatus est. inde literarum causa Heidelbergam ad Academiâ sese contulit. Ibi adeò profecit, ut in philosophia & Theologia magnam eruditionem acquisierit. Erat etiam mirabili eloquentia prædictus, ita ut coram rege Angliæ, deinde coram duce Sabaudiæ, & tandem coram rege Franciæ elegantes orationes habuerit. Hūc Ludouicus Palatinus ob morum integritatem primò Capellanū, & postea Secretarium suum elegit. quia etiam rebus agēdis esset expeditissimus, sæpius in causis arduis eum hinc inde Legatum misit. In disputationibus nulli secundus erat. Itaq; dū per otia licebat, cōtra Hussitas librum conscripsit. Item librum de Prædestinatione, & alium de Controversiis. floruit is anno 1425. Trit.